

utriusque juris doctores et theologi. Ratio est, quia, ubi prorsus nulla culpa est, nulla etiam pena esse debet: Nam juxta sacras litteras, Deut., cap. xxv, §. 3: « pro mensura peccati, erit plagarum modus. » Hinc c. *Felicis*, 5, de *Poenis*, in 6, ita statuitur: *Judex* poenam metietur ex culpa; siquidem omnis pena, ait S. Augustinus, lib. I, *Retract.*, cap. ix: « Si justa est, peccati pena est. » Quare si homicidium ab infante, furioso, et amente commissum ob defectum culpae, nulli poenae subjacet, l. *Infans*, 12, ff. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* et can. *Aliquis*, cau. 15, q. 1. Sic idem dicendum erit ob paritatem rationis de homicidio a praefato ebrio commissum: præsertim cum etiam pro hujusmodi ebris militet ratio in cit. can. aliquos expresse illis verbis: « Quomodo enim reus constitueretur, qui nescit, quid faciat. »

209. *Etsi voluntarie se inebriet.* — Et quoniam jura et rationes num. præced. pro inculpabiliter inebriato militant etiam de illo, qui quidem culpabiliter se inebriavit, homicidium tamen nullo modo prævidit nec rationabiliter prævidere potuit, etiam talem sicut ab irregularitate, ita ab omni alia juris pena (loquendo de jure naturali) immunem declarant Molina, de I, et I, tract. III, disp. 38, n. 8. Lessius, lib. IV, de I, et 1, cap. III, n. 27. Layman, lib. III, tr. III, cap. iv, n. 2. Gutierrez, lib. II, can. qq. cap. IV, n. 95.

210. *Quamvis hinc specialia statuta, et consuetudines locorum poenam saltem extraordinariam infligant.* — Dicitur tamen notanter loquendo de jure naturali; quia ex specialibus statutis, vel consuetudine allegatis num. præced. homicidium committentes in ebrietate culpabili, puniuntur saltem pena extraordinaria. uti bene observat Layman, loc. cit. ad finem, arg. I. *Aut factæ*, 16, § 8, de *Poenis*.

211. *Qui ab experientia scit, se in ebrietate homines periculose invadere, irregularis est.* — Resp. III. Qui sufficienti experientia edoctus scit, se in ebrietate solere homines periculose invadere, et tamen voluntarie, ac culpabiliter se inebriat, præter irregularitatem, etiam jure civili statutam non quidem ordinariam, sed extraordinariam penam homicidii, contrahit. De irregularitate patet ex dicta supra, n. 207.

212. *Et alias, non tamen ordinariam, juris poenas incurrit, morte vel mutilatione secuta.* — De aliis non quidem ordinariis, sed ex-

traordinariis duntaxat poenis, docet Menochius, de *Arbitr. Judic. casu* 325, num. 3, *Clarus*, § fin., q. 60, num. 12. Covarruvias, in *Clem. un. h. t.*, p. 3, num. 4, et alii. Ratio est, quia pena ordinaria ultimi supplicii iis duntaxat homicidiis vi legis Corneliae infligitur, qui homicidium ex proposito, et dolo perpetravit, l. 1, prin. et § 1, et 3, item 1. in lege, 7, ff. *Ad leg. Cornel. de Sicar.* dolo autem, vel ex proposito talis ebrius, ut supponitur, nec occidere præsumitur, arg. I. *Perspicuum*, 11, § 2, ff. de *Poenis*.

213. *Solvitur objectio.* Culpa lata an, et quando æquiparetur dolo? — Nec refert, quod tale homicidium censeatur saltem indirecte voluntarie commissum, et ex culpa lata, quæ æquiparatur dolo, l. *Quod Nerva*, 32, ff. *Depositum*. Respondetur enim, culpam latam æquiparari quidem dolo in contractibus, non vero in delictis poenam corporalem, vel infamiam inducentibus, arg. cit. l. in lege, 7, ff. ad *leg. Cornel. de Sicar.*, juncto c. *Odia*, 15, et c. in *Poenis*, 49, de *Reg. jur.*, in 6.

§ VI.

DE DISPENSATIONE ET IRREGULARITATE ORTA EX HOMICIDIO, VEL MUTILATIONE.

214. *De tribus an dispensare valeant?* est quæstio, Papa videlicet, episcopo, et regularibus. — Ante responsonem notandum de tribus præcipue querari posse, an, et in quibus irregularitatibus dispensare valeant? de Papa videlicet, episcopis, et privilegiatis, præsertim regularibus. De quibus singulis singula instituimus quæsita. Hinc;

215. *Papa in quavis irregularitate potest dispensare.* — Quæritur I. An, et in quibus irregularitatibus ex homicidio provenientibus dispensare valeat Papa? Resp. I. Papa, sicut in quavis alia, ita etiam in irregularitate ex homicidio quoconque tandem proveniente dispensare potest. Unanimis et certa. Ratio est, quia omnis irregularitas non nisi jure ecclesiastico est introducta; in hoc autem Papam dispensare posse, explorati juris est; can. *Inferior*, 4, dist. 21, et c. *Proposuit*, 4. *De Concessione Præbend.*, ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jura dispensare. »

216. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod irregularitas ex homicidio præsertim injusto dicatur indisponsibilis; quia hoc intelligi debet, non quasi in ea etiam Papa dispen-

§ VI. DE DISPENSATIONE IN IRREGULARITATE ORTA EX HOMICIDIO, ETC. 377

sare absolute non valeat, sed quod raro, et difficilime, et fere nonnisi cum religiosis, vel qui religionem in aliquo ordine mendicantium intrare vult, dispensare soleat, ut cum communis bene advertit Covarruvias, in *Clem. un. h. t.*, p. 2, § 3, num. 3. Abbas, in c. *Sicut*, 6, num. 12 h. t. et alii.

217. *Quamvis episcopus possit dispensare in quavis irregularitate proveniente ex delicto occulto.* — Quæritur II. An, et in quibus irregularitatibus ex homicidio provenientibus dispensare valeat episcopus? Resp. I. Quamvis episcopus possit in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, tamen circa irregularitatem ex homicidio ortam antiquis, quidquid dicant, canonibus dimissis, hodie duplum observare tenetur dispositionem concilii Trident. quarum prima est, sess. 14, de *Reform.*, cap. vii, sic sonans: « Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen illud occultum fuerit, nullo tempore ad ordinis promoveri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica conferre liceat, sed omni ordine, ac beneficio, ac officio ecclesiastico perpetuo caret. Si vero homicidium non ex proposito, sed vim vi repellendo, ut si quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, et altaris ministerium, et beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci ordinario, aut ex causa metropolitanus, aut viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.

218. Altera vero, Sess. 24, cap. vi, ita sonat: « Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, ex exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum dispensare, etc.

219. *Nequit tamen dispensare in irregularitate ex homicidio injuste directe intento, quantumvis occultum existat.* — Resp. II. Nequit episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario injusto directe intento (de quo egimus supra, § II) quantumvis sit occultum. Barbosa, in *concil. Trident. cit.*, Sess. 24, de *Reform.*, cap. vi, num. 30. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, num. 240. Covarruvias, in *Clem. Si furiosus*, h. t., p. 2, prin. et § 1, num. 2. Pirhing, h. t., n. 125, cum communis et certa

aliorum. Ratio pariter, quia quidquid sit de jure antiquo, potestatem dispensandi in praefato homicidio episcopis non competere a concilio Trident. cit., Sess. 24, cap. vi, vel declaratum vel de novo statutum fuit, ubi per homicidium voluntarium intelligi injustum directe intentum, et volitum, bene observant doctores supra citati.

220. *Neque in irregularitate ex defectu lenitatis ex homicidio auctoritate publica in malefactores, vel in bello justo facto.* — Resp. III. Pariter non potest episcopus dispensare in irregularitate, quam ex homicidio justo publicata auctoritate facto in judicio sanguinis, et in bello justo ob defectum lenitatis contrahunt judices, et alii officiales, ac ministri ad mortem propinquæ concurrentes (de quibus supra § III, a n. 75, egimus) item milites in bello etiam justo pugnantes (de quibus cit. § III, a n. 145.) Suarez, de *Irregular.*, disp. 47, sect. 6, in fine. Castro Palao, de *Censuris*, disp. 5, pun. 4, § 7, n. 6. Avila, de *Censuris*, disp. 6, sect. 5, dub. 1, concl. 1. Gutierrez, can. qq., lib. II, cap. vi, n. 170. Garcias, de *Benefic.*, p. 7, cap. xi, n. 40. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 217 et lib. V. Consil. consil. 39, h. t. Layman, lib. III, tr. III, par. 3, cap. XII, n. 5. Pirhing, h. t., n. 129, cum communiori et probabiliori aliorum. Ratio est, quia vi concilii Tridentini, loc. cit., episcopis conceditur potestas dispensandi duntaxat in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, ut patet ex textu supra, n. 218, relato. Atqui homicidium publica auctoritate juste factum, non est delictum, ergo. Accedit consuetudo, et praxis, quæ est optima legem interpres, l. ff. de *Leg.*, constat enim episcopos cum nullo ex præfatis ob defectum lenitatis irregularibus dispensare, sed illos ad Curiam Romanam dirigere solere, prout eliam stylus Curiæ, qui pro lege habetur, c. ex litteris de *Constit.* idem tenet.

221. *Bene vero in irregularitate orta ex homicidio ob sui, vel aliorum defensionem facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ.* — Resp. IV. E contra vero potest episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio occulto causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ (de qua supra § IV, a n. 147.) Gutierrez, can. qq., lib. I, cap. LXV, n. 13. Barbosa, in *concil. Trident.*, loc. cit., n. 32. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 239. Layman, loc. cit., n. 2. Avila, de *Censuris*, disp. 6, sect. 5,

dub. 5, Concil. I. Molina, de I, et I, disp. 79, n. 8 et 11. Pirhing, h. t. n. 118. Ratio est, quia concilium Tridentinum, dum Sess. 24, *de Reform.*, cap. vi, concedit episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, proveniente, solum exceptit homicidium simpliciter voluntarium injustum directe intentum, volutum juxta dicta supra n. 219, tale autem non est homicidium conclusione positum: Quamvis enim ob excessum moderaminis inculpatæ tutelæ sit illicitum, et injustum; tamen quia ob necessarium sui, vel aliorum defensionem non sponte, sed quasi coacte, et necessario, ac non nisi quoad modum illicite fuit, simpliciter et directe voluntarium dici non potest.

222. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod in concilio Tridentino, sess. 14, *de Reform.* cap. vii dicatur, dispensationem in irregularitate orta ex homicidio causa defensionis facto committendam esse ordinario loci, ut causa cognita dispenset; ergo potestas dispensandi de jure non competit, nec est commissa episcopo, sed primum per Papam committenda. Respondetur enim, ibi esse sermonem de homicidio publico causa defensionis facto, et de irregularitate inde orta, in qua episcopum dispensare non posse, ipsimet fatemur, juxta dicenda infra n. 224. Pirhing, h. t. n. 128.

223. *Pariter dispensare potest in irregularitate orta ex homicidio casuali occulto.* — Resp. V. Pariter dispensare potest episcopus in irregularitate orta ex homicidio casuali occulto (de quo supra § præc. a n. 181.) Barbosa, *de Offic. et potestat. episcop.* allegat. 39, n. 48; Gutierrez, loc. cit.; Navarrus, *Manual.* cap. xxvii, n. 249; Layman, lib. III, tr. III, p. 3, cap. XII, n. 2; Diana, p. 4, tr. II, resolut. 71; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 24, *de Reform.* cap. vi, n. 36, cum communis contra Sanchez, lib. I, *Moral.* cap. x, n. 40. Ratio est, quia concilium Tridentinum, cit. cap. vi, exceptit solam irregularitatem ex homicidio voluntario provenientem: exceptio autem firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. I. In iis, que, ff. ad Leg. Accedit, quod concessa a Tridentino facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus sit late interprætanda, utpote beneficium principis, et quidem juri insertum, ac non tam personæ, quam dignitati arg. Cum dilecti, 6, *de Donat.* ibi: « In beneficium plenissima est interpretatio facienda, » et I. *Beneficium.* 3, *de Constitut. princip.* Confirmatur etiam per declarationem cardinalium, de qua doctores citati.

224. *Quandocunque homicidium qualecumque tandem jam est publicum, aut deductum ad forum contentiosum, nequit episcopus in irregularitate inde orta dispensare.* — Dicitur autem notanter tam in præcedenti, quam in priori conclusione n. 221 posita ex homicidio occulto. Nam:

225. *Resp. VI. Quandocunque homicidium*

causa defensionis factum, vel aliud casuale est notorium, et publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, dispensare in irregularitate inde orta minime potest episcopus. Barbosa, in concil. Trident. cit. sess. 14, cap. vi, n. 37; Pirhing, h. t. n. 128; Bonacina, *de Censuris.* disp. 1, q. 3, pun. 2, n. 2; Sanchez, *de Matrim.* lib. II, disp. 37, n. 12; Gutierrez, *Can. quæst.* lib. I, cap. III, ad finem, et alii. Patet conclusio ex concilio Tridentino, tam sess. 24, *de Reform.* cap. vi, ubi in priori loco dispensationem in irregularitate orta ex homicidio causa defensionis, vel casualiter facto committendam, non commissam episcopis dicit, si est publicum homicidium, per dicta n. 217 et n. 222. In posteriori autem (ut videre est in textu n. 218 adducto) præcise in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus potestatem dispensandi concedit eisdem; ergo non in illis, quæ proveniunt ex delicto publico, vel deducto ad forum contentiosum.

226. *Potest insuper episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex mutilatione occulto etiam directe et malitiose intenta.* — Quæritur III. An, et in quibus irregularitatibus ex mutilatione provenientibus dispensare valeat episcopus? Resp. I. Potest episcopus in quavis irregularitate ex mutilatione quacunque tandem injusta, et voluntarie ac directe intenta, occulta tamen dispensare. Garcias, p. 7, *de Benefic.* cap. xi, a n. 3; Suarez, *de Censuris.* disp. 44, sect. 1, n. 4; Navarrus, *Manual.* cap. xxiii, n. 240; lib. III, tr. III, p. 3, cap. XII, n. 2; Diana, p. 4, tr. II, resolut. 71; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 24, *de Reform.* cap. vi, n. 36, cum communis contra Sanchez, lib. I, *Moral.* cap. x, n. 40. Ratio est, quia concilium Tridentinum, cit. cap. vi, exceptit solam irregularitatem ex homicidio voluntario provenientem: exceptio autem firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. I. In iis, que, ff. ad Leg. Accedit, quod concessa a Tridentino facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus sit late interprætanda, utpote beneficium principis, et quidem juri insertum, ac non tam personæ, quam dignitati arg. Cum dilecti, 6, *de Donat.* ibi: « In beneficium plenissima est interpretatio facienda, » et I. *Beneficium.* 3, *de Constitut. princip.* Confirmatur etiam per declarationem cardinalium, de qua doctores citati.

227. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod

§ VI. DE DISPENSATIONE IN IRREGULARITATE ORTA EX HOMICIDIO, ETC. 379

homicidium, et mutilatio quoad irregularitatem æquiparentur, arg. can. Si quis abscederit, 4, dist. 53. Cum Concordantiis. Respondetur enim homicidium, et mutilationem æquiparari quidem quoad contrahendam irregularitatem, jure sic disponente; non vero æquiparari quoad gravitatem culpæ, et dispensationem.

228. *Superiores regulares possunt cum subditis suis dispensare in quavis irregularitate ex occulta mutilatione, vel homicidio etiam directe intento, proveniente.* — Quæritur IV. An, et in quibus irregularitatibus ex homicidio, et mutilatione provenientibus dispensare valeant superiores regulares? Resp. I. Superiores regulares possunt dispensare cum subditis suis in irregularitate proveniente ex homicidio, et mutilatione illicita, non tantum casuali, ex causa defensionis cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ perpetratæ, sed etiam cum directe et voluntarie intento, occulto tamen. Roderiquez, tom. I, q. 24, art. 12; Miranda, in *Manual.* tom. II, q. 8, concl. 5; Portel. *In dub. regular.* ¶ Dispensare, n. 8; Hyacinthus Donatus, tom. II, tr. XI, q. 9, et seqq.; Pelliz. p. 1, tr. X, cap. xx, q. 24, et seqq.; Castro Palao, *de Censuris.* disp. 6, pun. 15, § 3, n. 4, et alii. Ratio est, quia hæc potestas eis competit ex specialibus privilegiis per varios Pontifices concessis, quos præfati allegant doctores. Plura de his infra tit. XXXIII, *de Privilegiis.* item tit. XXXVIII, *de Pænitentiis et remissionibus.* Cæterum cum sœpe fiat mentio, quod possint episcopi, et superiores regulares dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, et non deducto ad forum contentiosum:

229. *Quodnam homicidium ad propositum dicatur occultum.* — Quæritur V. Quodnam dicatur delictum occultum, et quod non deductum ad forum contentiosum? Resp. I. Imprimis certum est, illud homicidium in ordine ad obtinendam dispensationem esse, et dici occultum, quod probari nequit. Ratio est, quia quod probari nequit, proprie occultum dicitur. Abbas, in c. *Vestra.* 7, *de Cohabitat. cleric. et mulier.* n. 7, et ibi Fagnanus, n. 45 dicens, cœminem discrepare, et jam diximus supra tit. I, v. 241.

230. *Quod probari nequit, occultum aicitur.* — Infertur, esse et dici ad propositum homicidium occultum, etiamsi de illo quis sit diffamatus, vel suspectus, quando fit vel nemine præsente uno tantum (quia unus

testis nil probat per vulgaria) vel etiam duobus aut pluribus, sed talibus præsentibus, qui vel a jure, vel facto a ferendo contra delinquentem testimonio sunt impediti.

231. *Secundum plures doctores etiam illud homicidium dicitur occultum, quod non pluribus, quam quinque notum est.* — Resp. II.

Multi graves doctores probabile censem, etiam illud homicidium in ordine ad obtinendam dispensationem sufficienter dici occultum, quod licet coram pluribus factum sit, consequenter probari possit, tamen non pluribus, quam duobus, tribus, aut quinque notum est; consequenter notorium non sit notorietate facti, nec juris, quippe de quo delinquens nec confessus, nec convictus, nec per sententiam aliquam criminis declaratoriam judicatus est. Ita ad propositum docent Sanchez, *de Matrim.* lib. VIII, disp. 34, n. 55; Navarrus, *Manual.* cap. xxvii, n. 233; Francisc. Leo, *Praxi S. Pænitent.* p. 2, cap. vi, n. 6. Idem tenere videtur Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 14, *de Reform.* cap. vi, n. 26, allegans plurimos doctores, arg. c. *Vestra.* *de Cohabitat. cleric. et mulier.* Ratio est, quia etsi tale homicidium non sit proprie occultum, est tamen pene tale; cum non sit notorium. Imo a Glossa, in can. *Manifesta.* cau. 2, q. 1, occultum absolute dicitur; ibi: « Occultum dicitur, quod quinque sciunt: » et alibi atque amplius diximus cit. tit. I, a n. 241, ubi vide.

232. *Homicidium ad forum contentiosum deductum dicitur, quando fit contestatio litis, et non antea.* — Resp. III. Ad forum contentiosum deductum dicitur omne et solum illud homicidium, vel aliud delictum, super quo ad judicem jam delato facta est contestatio litis. Barbosa, *de Offic. et potestat. episcop.* allegat. 39, a n. 29; Diana, p. 4, tr. II, n. 93; Castro Palao, tr. III, cap. vi, pun. 15, § 4, n. 10; Gavant. *Manual. prælator.* ¶ Absolutio, n. 12, Ratio est, quia forum contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur; atqui non contenditur in eo, donec inter partes litigantes durant contradictionem, et contenter, quod fit per litis contestationem, arg. c. *Ex parte.* 10, *de Verb. signif.*; Farinac. *Prax. criminal.* q. 10, n. 55, in fine, ex his.

233. Infertur, posse episcopum in irregularitate ex homicidio casuali, vel causa defensionis orta, et superiore regularem cum suis subditis in irregularitate ex homi-

cidio etiam directe voluntario contracta dispensare, etiamsi delinquens ratione illius jam sit judicialiter delatus, et citatus; si litis contestatio facta non est, et ceteroquin crimen adhuc non est notorium, sed occultum modo supra a n. 229 declarato.

234. *Qua litis contestatione facta episcopus adhuc dispensare posse saltem post item finitam, volunt aliqui.* — Volunt quidem non nulli; ut Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xi, n. 2; Layman, lib. I, tr. III, p. 5, cap. IX, n. 5. Diana, et alii, posse episcopum, et regularem superiorem, ut supra, dispensare etiam post litis contestationem, postquam nempe lis in judicio jam finita, et delinquens ob delictum punitus est; eo quod finis, ob quem S. synodus prohibuit episcopis, ne delicto ad forum contentiosum jam deducto dispensent, jam sit obtentus, ne videlicet curiae super delicto jamjam cognoscens auctoritas minueretur, et satisfactio congrua impediatur.

235. *Sed contrarium probabilius est.* — Verum quia, si concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reform.* cap. vi, non tantum prohibuit dispensationem, si homicidium ad forum contentiosum jam est deductum, sed etiamsi illud jam est notorium et publicum; homicidium autem, de quo in foro contentioso jam cognitum, et sententia lata fuit, sit et maneat publicum ac notorium notorietae juris etiam, post finitum iudicium, hanc dispensandi potestatem merito negant Garcias, p. 7, *de Benefic.* cap. XI, n. 50; Gutierrez, *Can. quest.* lib. 1, cap. III, n. 10; Barbosa, loc. cit. n. 35; Castro Palao, *de Censuris*, disp. 6, pun. 7, n. 13; Bonacina, disp. 7, q. 5, pun. 4, n. 6, pro qua opinionem citatur etiam declaratio cardinalium.

TITULUS XIII.

De torneamentis.

1. *Ratio ordinis.* — Ad vitanda homicidia prohibuit Ecclesia frequentiores eorum causas, cuiusmodi sunt torneamenta, duella, et ars sagittaria. De quibus proin post titulum de homicidio in praesenti, et duobus

sequentibus rubricis recto ordine agit juris compilator.

2. *Torneamenta, quid?* — Quæritur itaque ad propositum præsentis rubricæ quid, quotuplia, quibus, et sub qua pena prohibita sint torneamenta? Resp. I. Torneamenta (Germanice Turnier) sunt nundinae seu feriae, et hastiludia, seu pugnae solemnies equestres, quibus milites, vel, uti præteritis seculis frequentius fieri solebat, nobiles equestres ex condicto convenire, et ad ostensionem virium, animositasque et peritiæ tractandorum armorum congregari solent. Ita in substantia describuntur c. 1, h. t. et notant ibidem doctores.

3 et 4. *Fieri possunt cum et sine periculo vitae.* — Resp. II. Hujusmodi torneamenta duplia sunt, vel potius dupli modo fieri possunt. Primo temere, et cum ordinarie adjuncto mortis periculo, quando nempe ad invicem congregientes, hastis acutas cuspides præfixas habentibus, aliisque armis ad vulnerandum præparatis utuntur.

Secundo modo sine temeritate, et mortis periculo; dum videlicet congregientes ad invicem debitam cautelam, vel arma hebetata, hastasque sine cuspidi adhibent, vel loricas, et galeis secure ita muniti comparent, ut omne periculum vitae absit; vel denique hastis et armis non se invicem, sed suppositas figuræ petunt.

5. *Priori modo sunt prohibita.* — Resp. III. Quamvis torneamenta priori modo descripia veteri jure civili permissa videantur; arg. I. *Qua actione, 7, § 4, ff. ad Leg. Aquil.* et I. *Solent, 2, ff. de Aleat.* tamen jure novo codicis, et præcipue jure canonico gravissime sunt prohibita. Jure civili quidem l. un. c. *de Gladiat.* Jure canonico c. 1 et 2, h. t. Ratio adjungitur cit. c. 1, h. t. quia inde mortes hominum, et animarum pericula sœpe proveniunt; unde etiam detestabiles ibidem vocantur.

6. *Et quidem sub pena homicidii officiente occidentem, et privationis sepulturæ ecclesiastice officiente occisum.* — Resp. IV. Pœna in hujusmodi torneamentis pugnantium est, quod, qui in illis aliquem occidit, veri homicidii et pœnarum illius utroque jure statutarum reus sit, prout post Hostiensem, in *Summa*, h. 1. n. 3, bene observat Pirning, h. t. n. 2. Ille vero, qui occiditur, licet ei ante obitum sacramenta Ecclesiae non negentur, ecclesiastica sepultura carere debet, textu expresso cit. c. 1, h. t. ibi :

« Quod, si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiastica tamen caret sepultura. » Intellige, si animo ibidem pugnandi accesserit; illi enim, qui ex alio etiam curiositatis fine illuc existunt, et spectatores agunt, ecclesiastica sepultura non privantur, si casu ibidem intereant, textu claro c. 2, h. t.

7. *Posteriori autem modo sunt licita, et consueta laicis.* — Resp. V. Licet etiam posterior torneamentorum modus n. 4 delatus, olim a Clemente V, in concilio Viennensi per Constitutionem, quæ incipit *Passiones*, sub excommunicationis et aliis gravibus pœnis fuerint prohibita ex eo, quod nobiles ad illa se preparantes immodos pro splendore et apparatu fecerint sumptus, indeque a dando subsidio terræ sanctæ inhabiles fuerint redditii, uti observat Gonzalez, in cit. c. 2, h. t. n. 7. Dictam tamen constitutionem, pœnasque in illa contentas, ad instantiam regis Galliæ, et Germaniæ principum, ac magnatum revocavit Joannes XXII, *In Extravag. un. h. t.*

8. Hinc torneamenta, et hastiludia posteriori modo accepta, quæ nostris temporibus in principum nativitate, inauguratione, nuptiis, etc. passim fieri solent, nec culpæ, nec pœnas subjacent respectu laicorum, etsi per accidens, ac præter opinionem homicidium alicuius sequatur, ut colligitur ex textu cit. *Extravag. Joannis XXII*, un. h. t. et bene observat Navarrus, *Manual. cap. xv.* n. 9 et 21; Abbas, in c. 1, h. t. et ibi Barbosa, n. 2; Gonzalez, in c. 1, h. t. n. 6, et alii. Ratio est, quia haec torneamenta ex se nullum vitæ periculum adjunctum habent; et prorsus per accidens est, si mors ex eis sequatur.

9. *Non item clericis.* — Dicitur tamen notanter respectu laicorum, quia clericis utroque modo accepta prohibita sunt torneamenta. Gonzalez, loc. cit. n. 8, et seqq.; Sylvester, ¶. *Ludus et torneamenta;* Clarus, § *Ludus;* Tuschus, ¶. *Ludus,* concl. 456, et alii, id propter res ex variis conciliis, ut Heribolensi celebrato tempore Honorii IV, ubi can. 4, ita statuitur : « Hastiludia, et torneamenta clericis, qui sunt in dignitatibus, personatibus, et sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdicta. » Similis prohibitio, et quidem sub anathemate facta est in concilio Salisburgensi sub Martino IV. (ADNOTATIO XXIV.)

TITULUS XIV.

De clericis pugnantibus in duello.

1. *Duellum, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit duellum? Resp. I. Duellum sic dictum, quasi duorum bellum vel certamen in sensu hujus Rubricæ recte definitur dicens: Duellum est singularis pugna duorum inter se ex condicto suscepta. Ita in re communis. Quod duellum grece monomachia vocatur, can. *Monomachiam.* 22, c. 2, q. 5.

2. *Aliud est solemnne.* — Resp. II. Duellum ita definitum principaliter dividitur in solemnne, et privatum. Solemne est, quod fit servata certa forma, et solemnitate circa tempus et locum securitatis privilegio præditum (quod campum francum communiter appellant) adhibitus etiam testibus, seu patrinis, quos secundantes vocant.

3. *Aliud privatum.* — Privatum est, quod quidem etiam ex condicto, statutoque tempore et loco absque aliis tamen solemnitatibus circa securitatem loci, et patrinis adhibitis fit, uti cum aliis notat Desselius ad hanc rubricam.

4. *Utrumque est prohibitum.* — Quæritur II. An, et sub quibus poenis prohibitum sit duellum. Resp. I. Regulariter loquendo duellum utroque modo acceptum jure divino et humano tam civili, quam ecclesiastico sub poenis gravissimis est prohibitum. Communis et certa l. un. c. *de Gladiat.* can. *Monomachiam.* 22, c. 2, q. 5, et concilium Tridentinum sess. 25, *de Reform.* cap. xix, ibi: Detestabilis duellorum usus fabricante diabolico introductus, ut cruenta, corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christianorum orbe penitus exterminetur, imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, et quoconque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos cesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligentur: et si feudales sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium